

format quæstionis statum: *Sensus ergo quæstionis est: quodnam fundamentum vel principium in reipsa habet differentia Individualis.* Ex quibus Svarezii verbis satis evidens est, quod quando de principio Individuationis quæritur, de nullo alio sermo sit, quam de fundamento differentiæ numericæ Individuum. Ut igitur quæratur, per quodnam principium una substantia materialis ab alterâ numero distinguitur?

§. 5. Porrò sciendum est, quod hic non quæratur, *de omnibus rebus singularibus, seu individualibus, quodnam sit illorum principium, sed saltim de substantiis & quidem compositis.* De accidentibus & substantiis simplicibus hic non agitur. Nam Substantiæ simplices, materia & forma, accidentia item & modi rerum, nulla habent principia individuationis. Ratio est, quia hæc eo ipso, quod hæc entitates quædam simplices sunt, principiis internis carent. De principiis vero externis non sumus solliciti.

§. 6.